

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiæ Lipsiensis Sacra Natalitia Ritu Solenni Celebranda Intimat.

Fleischer, Christoph

[Lipsiae], [1704?]

VD18 9081651X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200626



Autore L. loh.
Nativitatis
Dec.



Activitatis Dominicæ finis, usus, atque fructus
præcipuus est SPIRITUALIS CHRISTI
IN NOBIS NATIVITAS, de qua notanter
S. Hieronymus: (α) *Nolite desperare, quod
semel natum est ex Maria, quotidie & in no-
bis nascitur. Et terra nostra dabit fructum
suum: & nos possumus parere Christum, si vo-
lumus. Nempe ideo, ut Beda (β) scribit, Filius
Dei Homo natus est, ut nos ad imaginem & similitudinem suæ Divini-
tatis renascendo reficeret. Sive, ut Cyprianus loquitur: Quod ho-
mo est, Christus esse voluit, ut homo esse posset, quod CHRISTUS est.
Et sane nihil & frustra erit, quicquid de Nativitatis Christi histo-
ria dixerimus, nisi Ejus Nativitas, uti crux, mors, passio, resurre-
ctio, & ascensio incomprehensibili modo in nobis perficiatur.
Quæ locutio licet tot clamoribus lapidata fuerit in JO. ARNDTIO
(γ) & ejus sequacibus, (δ) reverenter tamen auditur atque legi-
tur in Sacris litteris, atque venerandæ antiquitatis Patribus. Unde
res isthæc LECTORI non erit dividia, si Nativitatis istius nunc
præcipuas circumstantias pie meditemur. PARTUS in hac spiri-
tuali Genesi CHRISTUS JESUS est, DEUS & HOMO, Unus
ille*

(α) *Comm. in Ps. LXXXIV. 17.* (β) *In Homil. super lect. Evang. Pastores loquebantur.* (γ) *Lib. I. de vero Christian. c. VI. § 3. 4. f. 48. edit. recent. vide Henr. Varenii Indic. LL. IV. Arndtii P. II. f. 326---349.* (δ) *Conf. Gerbardum Postil. P. I. Hom. pecul. de Spirituali Christi Nativ. f. 14. sq. Phil. Gallum Postil. Prophet. f. 63. Jo. Tarnovium Exerc. Bibl. f. 87. &c. &c.*

ille Mediator Dei & Hominum, (ε) qui, ut Innocentius Papa dicebat, (ζ) *de Patre nascitur semper, de Matre semel, IN NOBIS saepe.* Qui enim *pro Nobis* natus est in Incarnatione sua, idem *in Nobis* nascitur in Regeneratione nostra. Hic est vera & viva illa Dei imago, (η) ad quam naturam nostram, lapsu Adæ corruptam, reformari oportet. Ex quo purissimo speculo nihil aliud relucet præter Deum ipsum, hoc est merus amor & misericordia, longanimitas, patientia, mansuetudo, caritas, Φιλανθρωπία, sanctitas, consolatio, vita, & beatitudo æterna. Per hunc indivisibilis Deus conspici, patefieri, hominibusque innotescere voluit. Qui idem tamen longe sublimiori modo, secundum divinitatem, Dei Patris imago est, puta ipse Deus, & imago ejus essentialis, ac splendor claritatis, lucisque increata. (θ) Sicuti vero CHRISTUS in nobis esse, vivere, habitare, loqui, manere debet; (ι) ita quoque prius ipsum in nobis concipi, nasci, oportet. (κ) In quo enim homine Christus per fidem non concipitur aut nascitur, in eo nec vivere, aut aliud quippiam agere, potest. MATER est Anima fidelis. Ita enim JESUS ipse cuiusdam dicenti sibi: *Ecce Mater tua foris stat, querens te*, ait: *Quanam est mater mea?* (λ) Non quod neget se veram habere matrem, quasi Christus non verus, sed phantasticus Homo, Phantasma ex phantasmate natus fuerit, uti docuit Marcion & Manichæi: nec etiam quasi ipsum suæ matris puduerit; sed quia, ut Ambrosius ait, (μ) *paternis se ministeriis amplius, quam maternalibus affectibus debere ostenderet*, ac spiritualem cognationem carnali præferret, in qua non est sexus, non ordo, sed omnes proxime & omnimode contingunt Christum, quasi mater, soror, & frater. Hoc enim est, quod de Christo subicit Matthæus: (ν) *Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce Mater mea! Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ipse MEA MATER est, spiritualis puta, non carnalis.* Fidelis ergo Deo obediens est Mater Christi,

A 2

(ε) 1 Tim. II, 5. (ζ) Apud Danbaurum χριστοφ. Sect. III. Art. III. f. 25. (η) Col. I, 15. (θ) Heb. I, 3. (ι) Rom. IX, 10. 2 Cor. XI, 10. XIII, 3. 5. Gal. II, 20. Eph. III, 17. Coll. I, 27. Heb. III, 14. (κ) Gerbardus Medit. XII. f. 85 LI. f. 360. (λ) Matth. XII, 47. 48. (μ) Ap. Cornel. a Lapide ad h. l. f. 272. (ν) l. c. v. 49. 50.

24 55

Christi, quia Christum in se, credendo in eum, ipsumque imitando, parit. Audiamus Chrysostomum (ξ) elegantissime hac de re scribentem: *Fiat omnis Anima MATER CHRISTI secundum affectum? Quomodo MATER CHRISTI? Omnis Anima in se ipsa Christum parturit: nisi vero pietate fuerit transformata, Mater Christi vocari non potest. Cum exceperis verbum Christi, & illud in tua mente formaris, illius Mater appellaris. Ipsa Deipara, B. Virgo MARIA, nativitatis huius spiritualis, in corde suo peracta, fuit indiga: nec tantum corpore Christum, sed & antequam hoc fieret, spiritu concepit: Ecce, inquit, ancilla sum Domini! Fiat mihi secundum verbum tuum. (ο) Unde B. Augustinus: (π) Maternam propinquitatem nihil Mariae profuisse scribit, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. Beatorem ergo Mariam percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi, fuisse pronunciat, provocans ad istud Salvatoris responsum mulieri cuidam dicenti: *Beatus venter qui te portavit*, datum: *Quinimo Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* (ρ) Quasi dicat: *Tu beatam dicis Matrem meam, quod me talem filium genuerit, atque tacite beatitudinem similem optas, dolesque forte, quod talis Filius tibi non obtigerit: at ego solidiorem ac meliorem beatitudinem tibi offero, quæ omnibus eam volentibus competit, nimirum assero te beatam, imo beatorem fore, si verbum Dei audias & custodias: nam & Mater mea beatior fuit, quod me MENTE, quam quod VENTRE conceperit; adeoque nisi me MENTE concepisset, (συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ fidei mysteria καὶ συντηρῶσα, (σ) misera fuisset, ac gratiæ & gloriæ expers, imo nisi me prius MENTE concepisset, indigna fuisset, quæ me VENTRE conciperet. Decebat enim matrem Dei futuram esse purissimam & sanctissimam. (τ) Huc pertinet, quod Ecclesia, quæ est cœtus fidelium, in visione Johanni Theologo oblata, (υ) Mulieri parturienti, ac filium masculinum cum dolore parienti comparetur: quæ nil verita rufi Draconis insidias, parata sit cum Christo**

(ξ) Homil. CXIV. Tom. V. p. 734. 737. (ο) Luc. I. 38. (π) Lib. de S. Virg. c. III. (ρ) Luc. XI. 28. 29. (σ) Luc. II. 19. (τ) Quæ elegantissima est huius loci paraphrasis Cornel. a Lapide in IV. Evangel. f. 135. (υ) Apoc. XII, 1 --- 5. Verba sunt B. V. Melchioris Comm. in Apocal. f. 292. 294.

Christo exulare, diffamari, & transitum gladii sustinere, divinæ voluntati tota subiecta. *Ecclesia nempe suscepit Christum, natum e Virgine, deinde genuit filios: at hi concipiunt spiritualiter Christum, qui in ipsis formatur crucifixus.* (*) Egregie prorsus ad hunc locum Matthias Hoe, Theologus in oris hîce Saxonis celebratissimus: (Φ) *Mulier ista Sole amicta, dum gravida nobis depingitur, illud docet, Ecclesiam veram Christum in utero suo semper gestare. Etsi enim Christus Pater noster est, certo tamen respectu, spirituali nimirum, Filius quoque noster existit, quem ex gratia Spiritus S. conceptum sub cordibus nostris gestamus. Probet ergo Christianus quivis, num Filium hunc in corde suo habitare sentiat: an vero potius cor peccatis, malis cogitationibus, mundano splendore, & opibus locum concedat. Hoc si fit, membrum Ecclesiæ verum talis effinequit: illud si contingit, non nisi felicitas & salus sempiterna inde provenit. Gravidi ergo simus instar mulieris hujus, & Christum mellitissimum in cordibus nostris cum Davide & Asapho gestare non desinamus. Etsi enim concurrat dolor, pressura, & anxietas, nihilominus tamen corda nostra ad conceptionem Filii hujus prompta & parata asseramus, scientes, mœrorem certo verti in gaudium, & quidem in gaudium sempiternum. Non vero sufficit concipere Christum, & gravidum, ex conceptione ejus, Christianum reddi, sed & requiritur τὸ ΠΑΡΕΡΕ, ut pariamus & in lucem factum hunc sanctissimum edamus: hoc est, ut in quem CORDE credimus, eundem & ORE coram toto mundo intrepide confiteamur. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. SEMEN in hoc Spirituali fidelium partu est Verbum Dei vivi & manentis in æternum, semen illud incorruptibile (χ) singulari Spiritus S. ἐπελεύσας, ad Christum concipiendum, fœcundatum. Sicut enim ille conceptus est in utero B. Virginis Mariæ, non de Viro sed de Spiritu S. per Verbum ab Angelo denunciatum illapso; ita nos etiam non de sanguinibus, neque de Voluntate carnis, aut voluntate viri, sed ex Deo nati sumus, (ψ) CHRISTUMque in nobis, mediante verbo, concipimus. Eadem Virtus obumbrans, quæ Humanam ipsius naturam formavit, nostram*

A 3

(*) Verba sunt B. Winckelmanni Comm. in Apocal. f. 292. 294. (Φ) Comment. in Apocal. L. IV. f. 49. (χ) 1 Pet. I, 28. Jac. I, 18. (ψ) Job. I, 13.

74 53

stram quoque reformat, atque idem Spiritus de Redemtionem peccatorum nostrorum certos nos facit, qui ipsum ab omnibus peccatis exemptum faciebat. Ita S. Augustinus: (ψ) Ea gratia, fit ab initio fidei sue, Homo quicumque Christianus: qua gratia Homo ille ab initio suo factus est CHRISTUS; de ipso Spiritu & hic renatus, de quo & ille natus. Eodem Spiritu fit in nobis (regeneratio &) remissio peccatorum, quo Spiritu factum est, ut ille haberet nullum peccatum. Unde Lutherus: (ω) Gratia Dei hominem Deiformem reddit, & deificat, ut & Scriptura ipsum Dei Filium vocet. Ad verbum Gratiae accedunt Sacramenta: per quae nos Deo uniti & copulati sumus ita, ut omnia, quaecumque Dei sunt, usui nostro servire debeant. (a) Sane in BAPTISMO Christum induimus: (b) Christum autem induere est iustitiam, veritatem, omnemque gratiam, totiusque legis plenitudinem induere. Quare per Christum habemus benedictionem ac hereditatem Abrahae, si vere Christum induimus; Christus autem Filius Dei: & nos eodem indumento filii Dei sumus. Est autem hic tropus Apostoli, quo & alibi usus dicit: Sed induimini Dominum Jesum Christum. Item: induite nodum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. VERITATIS, ait, quia sola lex sanctitatem & iustitiam simulationis induit. (c) Chrysostomus & Theophylactus (d) id hoc utuntur simili: Sicut materia formam, corpus animam quasi vestem substantialem induit, ut ea suam deformitatem, nuditatem, ac ruditatem tegat & ornet; ita nos in Baptismo Christum per gratiam induimus, ut Christi spiritus sit quasi forma & anima nostra, ac consequenter ad unam cum Christo cognitionem & filiationem reducti sumus, sicut Christus Filius Dei est per naturam, ita nos filii Dei per gratiam & adoptionem. De Sacramento Coenae longa est, ut vocatur in Apologia A. C. (e) sententia Cyrilli in Iohannis Caput XV, ubi docet, Christum corporaliter nobis exhiberi in Coena. Sic enim ait: Non tamen negamus recta nos fide caritateque sincera Christo

(ψ) De Prædest. Sanct. c. XV. (ω) Tom. I. Jen. Lat. f. 293. (a) Ubi loquitur Lutherus in Catech. maj. Libr. Conc. f. 513. (b) Gal. III, 27. (c) Verba iterum sunt Lutheri ad b. l. T. I. Jen. Lat. f. 355. (d) Apud Corn. a Lapide Comm. ad b. l. f. 441. (e) Art. X. de C. D. f. 157. 158.

Christo spiritualiter conjungi; sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus. Idque a divinis Scripturis omnino alienum dicimus. Audi Paulum dicentem: „Omnes unum corpus sumus in Christo; quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus. Omnes enim de uno pane, (qui est communicatio corporis Domini) participamus. „ An fortasse putat ignotam nobis mystice benedictionis virtutem esse? quæ cum in nobis sit, nonne corporaliter quoque facit, communicatione carnis Christi, CHRISTUM IN NOBIS HABITARE? Et paulo post: Unde considerandum est, non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, CHRISTUM IN NOBIS ESSE, verum etiam participatione naturali. Alibi signanter admodum ea de re idem Cyrillus scribit: (f) Quoniam Salvatoris caro Verbo Dei, quod naturaliter vita est, conjuncta, vivifica effecta est: quando eam comedimus, tunc vitam habemus IN NOBIS illi carni conjuncti, quæ vita effecta est. Notatu etiam digna sunt verba, ejus sequentia in alio loco: (g) Dividi atque sejungi Christus non patitur. Unus ergo Christo per corpus suum conjuncti, IN NOBIS, illum, qui indivisibilis est, concipimus. Nec omittendum Hilarii Pictaviensis dictum: (h) Hæc (duo, Corpus & Sanguis Christi) accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in CHRISTO, & Christus IN NOBIS sit. Est ergo ipse IN NOBIS per carnem, & nos sumus in eo, dum secum hoc, quod sumus, in Deo est. Ille igitur est in Patre per naturam Divinitatis, nos in eo per corporalem ejus nativitatem. Ille rursus IN NOBIS per Sacramentorum mysterium. Præprimis autem hic audiendus est mellitissimi oris Pater, S. Macarius: (i) Christus verus ille Dominus filios, quos genuit ex semine suo, IN QUIBUS FORMATUS EST DOMINUS (ἐν οἷς ἐκπορεύθη ὁ κύριος) peculiari refectioe, alimento, cibo & potu, præter ceteros homines enutrit, & præbet seipsam illis, sicut ait: „ Qui edit meam carnem ac bibit, meum Sanguinem, in me manet, & EGO IN ILLO, & mortem, non

(f) L. IV. c. XIV. in Johan. (g) L. XI. c. 26. Plura hujus generis dicta Cyrilli inveniuntur apud Chemnitium Lib. de duab. Natur. in Christo, c. XXXI. (h) L. IIX. de Trinit. Myster. (i) Homil. XIV. f. 176. edit. Lips.

24 53

„non videbit. Sicuti vero ORGANUM *δοτικόν* sunt Verbum & Sacramenta, ita *ληπτικόν* in hac nativitate mystica est FIDES in CHRISTUM. Hæc uterus est, quo foetum hunc beatissimum intra nos recipimus ac firmiter tenemus. *Christus enim per Fidem habitat in cordibus nostris.* (k) *Hæc est medium veniendi in possessionem filiationis.* (l) Ad quem locum Gerhardus: (m) *Per fidem Christus noster efficitur, quia spiritualiter in nobis nascitur.* Vel, ut Chemnitius commentatus est, (n) *Fide Christum in nobis habitare dicit Paulus, ut ostendat, fidem esse medium, organon seu instrumentum, quo Christum in verbo apprehendimus, accipimus & retinemus, ut non quasi peregrinus transeat, vel ut hospes tantum apud nos pernoctet, sed ut per inhabitationis gratiam perpetuo IN NOBIS existat, ut semper sit ac maneat noster domesticus.* In hac promovenda nostri cum Christo unitione, ac gratiosa ejus in nobis conceptione, Fides non tam ut actio est per apprehensionem, licet virtute Spiritus S. elicitæ, quam ut passio per receptionem attractivam seminis illius incorruptibilis, verbi Dei vivi: (o) per quod *ὁ λόγος ὑποστατικός* se cordibus hominum insinuat, inque illa intime penetrat, pertingens usque ad divisionem anime ac Spiritus, compagum quoque, ac medullarum. (p) Unde etiam fidei vis magnetica & attractiva tribuitur. Innuat hoc Lutherus in Catechismo Majori: (q) *Ita dicitur haberi & apprehendi Deus, quando corde apprehenditur, eique soli hominis animus constanti atque inconcussa ADHÆRET fiducia.* Hæc ab omnibus aliis, quæ extra Christum sunt, nos conatur divellere ac abstrahere; & ad CHRISTUM solum, cum unicum illud ac immortale Bonum sit, ATTRAHERE. Fides præterea non tantum est medium concipiendi hunc foetum sanctissimum, sed & retinendi, ne elabatur, usque ad finem vitæ. *Christi nempe DOMILS sumus, si modo spem illam, de qua gloriamur, ad finem usque firmam retinuerimus.* (r) *Christi etiam consortes facti sumus, si modo principium illud, quo sustentamur, firmum retinuerimus usque ad finem.* (s) PATRES Spirituales
sive

(k) Eph. III, 17. (l) Gal. III, 26. (m) In Aphorif. f. 190. Conf. Medit. XII. f. 85. (n) De duab. natur. in Christ. c. 30. (o) 1 Pet. I, 23. (p) Hebr. IV, 12. (q) Libr. Concord. f. 406. (r) Hebr. III, 6. (s) Ib. v. 14.

siue Cooperarii Dei (t) in hoc spirituali partu sunt MINISTRI
 ECCLESIAE. Ita enim Paulus: (u) *Filioli mei, quos iterum
 parturio, usque dum formetur Christus in Vobis.* Ad quæ verba Lu-
 therus noster sic commentatus est: (x) *Vide miram Apostoli
 charitatem! ut totus est nihil aliud, quam Galatæ, adeo omnia in
 se transformat sui penitissime oblitus, ut patitur in illis, ut laborat,
 ut aestuat, de nulla suare, sed Galatarum sollicitus! O exemplum Apo-
 stolicum Pastoris Christiani! Vera charitas non querit, quæ sua sunt.
 Dulcissimi Filioli mei, ait, materna mea viscera torquentur, Pater
 fui, Mater factus sum, porto vos in utero, formo, fingoque vos:
 Vellem vos parere, & in vitam edere, si quo modo possem. Com-
 mendat hunc affectum multis D. Hieronymus. Nam hoc demum est
 animas querere, non pecunias. Nota verborum observationem:
 Non ait, donec Christum formem in vobis, sed FORMETVR,
 plus gratiæ Dei tribuens, quam operi suo, velut mater gestat eos in
 utero, rude semen, donec Spiritus cooperatus formet eos in Christum.
 Mox subijcit: Anxari potest prædicator, quomodo pariat Christia-
 nos, sed formare non potest, non plusquam mater carnis format sæ-
 tum, sed tantum portat formandum & pariendum. Unde simul
 constat, maxima cum difficultate conjunctum esse officium Pa-
 tris spiritualis, qui ad exemplum Pauli, etiam Matris cum dolore
 parturientis personam induere debet, ita ut vere affirmetur, ni-
 hil esse in hac vita eo difficilius, laboriosiusque, sicut nihil apud
 Deum est beatius, si recte id fuerit administratum. Hinc illud
 Jobi: (y) *Numquid parturientes cervas considerasti? incurvantur
 ad sætum & pariunt, & rugitum emittunt,* mystice accipit Gre-
 gorius M. (z) de Prædicatoribus, qui quasi cervæ in dolore, la-
 crymis, & rugitu, parturiunt Christo proles: *Video, inquit, Pau-
 lum, quasi quandam cervam, quosdam in partu suo magni doloris rugi-
 tus emittentem. Ait enim: Filioli mei, quos iterum parturio.
 Consideremus, quid doloris habuerit, quid laboris: quæ & postquam
 potuit concepta edere, rursus compulsus est extincta suscitare. Nec
 ab hoc officio prorsus excludendi sunt alii quicumque Christiani:*
 B qui*

(t) 1 Cor. III, 9 VI, 15. Phil. v. 19. (u) Gal. IV, 19. (x) Tom I. Jenesf. Lat. f. 361.

(y) Cap. XXXIX, 1. 2. 3. (z) Lib. XXX. Moral. Cap. XXI.

24 53

*FORMAM CHRISTI, quam habebatis in vobis ipsis ex baptismo, estque vobis opus alia regeneratione ac reformatione, ut rursus forma CHRISTI in vobis sit, ut ex ipso figuremini. FORMA CHRISTI est ipsa Imago Dei in Christo Homine plenissimo jubare refulgens, quam, ut in Adamo primo perdidimus, ita in secundo recuperamus, quando Imagini Filii Dei conformes reddimur, (f) & in imaginem Christi transformamur, (g) h. e. ad typum doctrinae Evangelicae, adeoque ad ipsius Christi mentem (h) effigiamur, ita ut CHRISTUS in nobis per fidem constanter habitet; (i) nec, ut in speculo, vana & inanis umbra appareat, sed vera vivaque Imago & similitudo invisibilis Dei, ejusque internae, occultae, ac immensae pulchritudinis: Imago, inquam, Sapientiae Divinae in intellectu; longanimitatis, bonitatis, mansuetudinis & patientiae, amoris & misericordiae Dei in affectibus cordis; justitiae, sanctitatis, sinceritatis ac puritatis in voluntate; comitatis, amabilitatis, humanitatis & veritatis in omnibus actibus & verbis. Egregie prorsus Cyrillus Alexandrinus: (k) *Formatur in nobis Christus, quando Spiritus S. per sanctificationem & justitiam divinam, quandam formam nobis imprimit. Idem alibi: (l) Formatur in nobis Christus per sanctificationem, quae est a Spiritu, per vocationem in fide in ipsum. Et mox: (m) Si nos ipsos fideles & sanctos servemus, tunc Christus in nobis conspicitur formatus: ipseque mentibus nostris characteres suos, tanquam aliquem splendorem, immittit. Nec aliter Chrysostomus: (n) Operatus es justitiam? in anima Christum formasti. Eleemosynam impertiisti? figuram veritatis formasti. Christus enim verbum pietatis est, cujus opera figuram recipimus veritatis. Operatus es justitiam? formatus est character veritatis.* MODUS hujus effigiationis ac nativitatis Christi in nobis est mirabiliter singularis & singulariter mirabilis. Hic enim abstrusa sunt omnia, plurimisque involuta mysteriis. Mirabiliter formatur homo in utero matris. Quis enim suae nobis corporeae nativitatis arcana pandet? Quis, qua ratione intra matris*

B 2

suae

(f) Rom. II, 29. (g) 2 Cor. III, 18. (h) 1 Cor. II, 16. (i) Eph. III, 17. (k) In Cap. XLIV. Esa. f. 591. (l) Advers. Anthropomorph. c. III. f. 370. (m) Ibid. c. V. f. 373. (n) Hom. LXV. Tom. V. f. 736. 737.

suæ viscera, sicuti lac fusus, tanquam caseus coagulatus sit, observate edisseret?
 Quasi sacro stupore correptus ipse exclamabat Vates: (o) *Celebro te, quia tremendis modis mirabiliter factus sum: mirabilia sunt opera tua: id quod anima mea perprobe callet. Ossa mea non celata fuerunt tibi, ex quo factus sum in abdito, artificiose & quasi phrygionico opere confectus in imis partibus terræ. Informem massam meam viderunt oculi tui.* Si autem ea, quæ ad corporis nostri ortum, vitæque hujus animalis initia attinent, tanta se abscondunt caligine, ut vel sagacissimi cujusque, in investigando, studium frustrentur: quanto reconditiora sunt ea, quæ spirituales nostri regenerationem, ac *μὲν Φασι* sive nativitatem Christi in nobis absolvunt, quam totam *μυστηριώδη* esse nemo ambigit. Interea exemplum foetæ mulieris, quod ipsa Scriptura suggerit, (p) concipientis in se ac formantis semina, nec non parturientis, diligenter tenendum, ut possimus aliquatenus intelligere, quod nobis proponitur mysterium. Natura non erubescenda, sed veneranda est. Sicut in utero mulieris primum projicitur semen informe, ut sulcis ac fundo ejus quodam quasi glutine adhæreat: deinde per novem menses, restricto sanguine, novus homo coagulatur, pascitur, atque distinguitur, ut cum in utero palpitavit, statuto tempore effundatur in lucem, & tantis difficultatibus nascitur, quantis postea, ne intereat, nutritur; ita & *semen sermonis Christi*, cum animam devote audientis incidit, per gradus suos crescit, & ut multa præteream, tamdiu in ancipiti est, quamdiu pariat, qui concepit. Nec statim finis industriæ est, edidisse hunc partum divinissimum, sed tunc alterius laboris exordium incidit, ut lactentem infantiam sedulis nutrimentis ac studiis usque ad mensuram plenæ stature Christi perducatur. (q) Nam ut Christus spirituali modo in nobis concipi & nasci; crescere & adolescere; sic & quod CONSEQUENS hujus Nativitatis est, perpetuo in nobis vivere, ac unitus nobiscum manere debet: ut quilibet nostrum cum Paulo (r) dicere possit: *Vivo autem, non amplius ego: sed VIVIT IN ME CHRISTUS: & vitam, quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam FILII DEI, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me!*

Plura hic addere superfedemus, cum alio nos vocet Oratio de Mediatore CHRISTO secundum utramque naturam, quam, hymnis precibusque cinctam, ex umbone templi Paulini cras circa meridiem habebit, quem & nuper in die pœnitentiali perorantem audivimus, Eximius atque doctissimus Juvenis, Dominus M. JO. FRIDERICUS RHANÆUS, *Stetimensis Pomeranus, Theologia studio additus.* Ad quæ sacra more consueto peragenda UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES non modo, sed & CIVES NOSTROS RELIQUOS, ea qua decet observantia & humanitate invitamus, CHRISTUM Mediatorem precati, ut virtute corporalis suæ nativitatis, reparet ac renovet in nobis imaginem Dei; per spirituales sui in cordibus nostris nativitatem: *ut omnes, re-tecta facie, gloriam Domini quasi in speculo intuentes, in eandem imaginem transformemur ex gloria in gloriam.* (s) P. P. Liplix in *Vigiliis Nativitatis*,

An. cl. 18c CIV.

(o) *Pf. CXXXIX, 15. 16.* (p) *Apoc. XII, 1-5.* (q) *Eph. IV, 13.* (r) *Gal. II, 20.* (s) *1 Cor. III, 18.*

Literis FLEISCHERIANIS.